



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres  
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum  
omnibus Christi fidelibus, tum potissimùm Gratiarum Cœlestium,  
lucrorumque æternorum avidibus, quâ theoreticè, quâ practicè  
proponuntur

**Družbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066391**

Stimulus 7. Christi meritorum præmium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45462**

Ea propter quisquis amator, & zelator esse desiderat gloriæ Domini Dei sui: nullo non die, nullâ non horâ, nullo non momento magnificet nomen ejus. *Det in omni opere suo confessionem Eccl. 47. 9.*  
*Sancto & Excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudet Dominum, & diligat Deum, qui fecit illum. Ornet tempora (sua) usque ad consummationem vitæ (suæ) & laudet nomen Sanctum Domini & amplificet mane (juxta & vespere) Dei Sanctitatem.*  
 Et tunc gloriabitur in te Deus tuus: exaltabitur ex te Sanctus tuus: & eris sedes gloriæ Domini Dei tui in æternum.

## Stimulus VII.

### *Christi Meritorum præmium.*

**G**Loria & beatitudo Sanctorum, est justissimum præmium Christi meritorum: attestante Propheta. *Pro eo quod laboravit anima ejus videbit & saturabitur: in scientia sua justificabit ipse servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* *Isa. 58. II.*  
 Non verò ipsa sola gloria beatitudoque nostra præmium est Christi, sed etiam ipsa nostra merita bona, quibus vitam gloriamque æternam acquirimus, ad præmium eorundem Christi meritorum pertinent. Ex his enim habent universam dignitatem suam, & omnem valorem atque proportionem, tam ad gratiam, in qua & per quam fiunt, quàm ad gloriam, ad quam & propter quam fiunt, & per quam præmiantur. Inde verò sequitur, quòd quantò quispiam justorum ardentior est, studiosiorque in bonis & meritoriis operibus perficiendis, amplioremque tam gratia in hac vita, quàm gloria in futura comparanda,

tanto is ad ampliorem Christi Domini & meritorum ejus remunerationem operetur, adaugeatque primum redemptionis suæ, ipsi Redemptori suo. Quæ res, quàm fit per omnem modum grata eidem Redemptori, cujus meritis infinita debetur præmiatio, non est quod explanetur, cum etiam non sit quod ambigatur. Cæterum sicut qui sunt *spiritu ferventes* & in omni diligentia *Domino servientes*, meritaque gratiæ & vitæ æternæ sibi magis ac magis cumulantes, præclare valdè de Domino suo, deque ejus meritorum copiosa præmiatione merentur. ita per contrarium omnes illi, qui sunt remissi & languentes in operibus suis, quorum opera nequaquam plena inveniuntur coram Domino, & coram Christo ejus: necesse est ut maledicti sint & evomantur ex ore Domini, & inter servos inutiles atque pigros computentur, ligatisque manibus & pedibus projecti in tenebras exteriores, habeant partem suam cum hypocritis, perfidis, & injuriosis Christo Redemptori suo, ac ideo etiam odibilibus Deo suo. *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Non potest in ejus vel gratiam vel gloriam liberalis esse Christus, qui se non exhibet quantum prævalet liberalem in glorificandum Christum. E contra, quanto se quis liberaliorem in eum præstiterit, tanto eundem in se liberaliorem habebit.

### Stimulus VIII.

#### *Sanctorum Angelorum merces.*

*Psal. 90. 11.* **D**EUS noster mandavit Angelis suis de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. Custodiunt ergo nos, tanta sedulitate, tanta fide, tanta constantia, tanta morositatis nostræ supportatione, ut evincant charitate sua erga nos, omnem  
aliam